

Nomen herbe, licanis stefanotice

Folia habet oblonga, angusta, lanugiosa, subalbida; caulem cum rammis lanuginosis in summo capite, caliculos, de quibus flos uiolatum prominet.

Ad morsum serpentis et scorpionis ictus

Herbe licanis stefanotice semen ex uino potui datum mire sanat. Legis eam, sic dicis: “Te precor, herbascam lycanis stefanotice, uti uenias ad me cum uires tuas et prosis mihi et omni homini cui me tibi manu mea dedero.

Nomen herbe actionum

Quidam prosapida, idest personatia, ali manita uocant. Folia habet similia cucurbite, sed maiora et duriora et pro pera densam caulem longum duobus digitis; in capite caliculos, in quibus semen cardis similem et angustius, colore rufo.

Ad eos qui sanguinem regiciunt

Quam passionem Greci datepycoris dicunt: herbe action, idest una, idest scripulos tres cum pinex e nucleis. Et more facto pastili cum uino potui dato mire sanat. Legis eam, sic dicis: “Herba action, subueni mihi, quaeso et intende ad me hilaris cum tuis floribus et uiribus, hilaris ueni ad me et auxilium sanitatis caeleris tribue”.

Pingenda herba abrotanum

Nomen herbe adroianum, alii eracion uocant. Huius generi sunt duo: femina et masculus. Femina ramosa, minutissimis et densissimis foliis ut potius capillamentum uideantur; flores uel semina minutissima et aurosa, boni odoris et grauis; gustu amaro.

Ad suspiriosos

Herbe abrotani semen cum aqua tritum et potui datum mire sanat.

Ad dificultatem urine

Semen herbe abrotani cum aqua tritum et potui datum mire sanat.

Ad sciaticos

Semen herbe abrotani cum aqua tritum et potui datum.

Ad menstrua prouocanda

Herbe abrotani semen in aqua maceratum et potui datum menstrua prouocat.